



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Index II. Conclusionum In Metaphysica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)



INDEX II.

CONCLUSIONUM IN METAPHYSICA

DISPUTATIONE I.

De Ente in Communi.

Premittuntur notiones Terminorum. Ly Ratio non debet accipi prout hic de illa, pro solo actu intellectus, aut denominatione ab illo orta. Nec est formaliter, omne illud quod solum vel principaliter tanquam aliquid simplex potest concipi. Et quamvis exacta definitione definiri non possit, potest sic circumscribi quod sit illud, quod Entis, objective acceptum. Formalitas non recte describitur per hoc, quod sit ratio identificata objecto, adeoque quodlibet intelligibile entitativè cum altero idem, quod solum vel principaliter tanquam aliquid simplex concipi potest. Sed est ratio habens se per modum actus.

Res est concretum quoddam ex ente & ratione. Sicut & modus est concretum ex ente & modalitate.

Nomine Quidditatis venit formalitas quæ competit objecto secundum se spectato. Spectaturque abstractè & concretè. Esse Musicum v.g. non est quidditas Petri, est tamen quidditas quæ Musici.

Positivitas non rectè explicatur per hoc quod sit affirmabilitas in suo Esse, non ex solo cognoscendi modo, sed est formalitas secundum Quod ipsum esse est.

Premittitur explicatio Principiorum merè Metaphysicorum.

Primum Principium est quodlibet est vel non est. Sed Ly est vel non est, non debet sumi contrariè nec in diversa suppositione. Unde vis dicti. Principii stat in hoc, quod debeat esse contradictio negando & affirmando idem de eodem, ratione ejusdem.

Secundum Principium est Impossibile, est idem esse & non esse, & hoc secundum principium, est universalius priori. Et utroque est universalius licet identicum Principium omne Ens est Ens.

Discurrendo de Ente secundum se, distinguenda sunt Ens & Enitas. Quod ipsum Ens variè accipitur. Carterum Ens nominaliter acceptum non rectè definitur, quod sit omne illud quod chimæra non est Ibid. Nec est id, quod primo in se formaliter non est nihil. Nec est id quod dicit aptitudinem ad existendum. Nec est id, quod à parte rei est Unum, verum, Bonum; Nec est Principium distinctionis motivum formale Potentiæ intentionalis, vel unde incipit numeratio contradictoria. Sed nominaliter acceptum Ens, est Ens prout est radix Esse primo formaliter. Ens autem participialiter est Ens prout habet, primò formaliter existentiam. Ens autem commune ad utrumque est Ens, cui competit esse indefinitè & non restrictè illud accipiendo.

Differentiæ sunt formaliter Ens, accipiendo illud contractè determinatè &c. Non sunt tamen formaliter Ens accipiendo illud pro ratione communi Entis. Ens tamen contrahitur à differentiis, sed non vera contractio.

Potest dari conceptus Entis perfectè unus. Hoc

Index II. Conclusionum in Metaphysica.

Hoc ipsum Ens prout consideratum in statu Præcisionis non est Analogum. Nec item Analogia ejusdem desumi potest ex statu reali Entis, Salvabitur tamen illius Analogia, si ratio illa quæ fuit abstracta, comparatè sumatur ad Differentias.

De Ente prout possibile est.

Possibilitas sumi dupliciter potest, primò prout contra ponitur existenti, & hæc appellatur possibilitas Physica. Secundò prout est quid commune tum actu existenti, quàm ei quod non existit, est tamen aptum existere, & hæc appellatur possibilitas Logica. Hæc possibilitas Physica præter formalitatem possibilitatis sibi communem cum possibili Logico, etiam dicit carentiam actualis existentia. Non tamen dicit carentiam sui.

Possibilitatis Conceptus non est definitivè posse à Deo creari.

Nec item rectè explicatur possibilitas tanquam per aliquid primum quod sit entitas non involvens contradictionem si existat. Sed potius possibile, est Ens ipsum prout est radix nexus essentialium prædicatorum, ad quem nexum sequitur non implicare contradictionem.

Inferes possibilitatem rerum ab æterno nihil in se actuale esse, quod sit actu, nemine cogitante. Sed tantum est actu ab æterno quoad suum fundamentum. Quod fundamentum potest reduci intentionaliter.

De fide est possibilitatem activam creaturarum esse omnipotentiam. De fide item est possibilitatem passivam non esse omnipotentiam. Hinc non est cautum dicere indiscriminatim possibilitas est Omnipotentia.

Possibilitas non est mera denominatio extrinseca. Sed est in aliquid se intrinsecè, sed Metaphysicè. Expenduntur propositiones Recentiorum de hac materia. Præter possibilitatem activam dari etiam debet possibilitas passiva.



De Ente prout Essentia est.

Essentia definitivè est ipsum Ens, prout est radix primò & formaliter essendi.

Essentia non habent ab æterno esse diminutum, prout illud explicant Scotistæ. Nec datur status essentia ab æterno.

Propositiones æternæ Veritatis, quosensu absolvent à tempore. Sensus illarum non est Hypotheticus. Sensus earundem ostenditur. Habent Essentia ab æterno, esse aliquod reale, condistinctum ab Esse objectivo in mente Dei, & Esse contento in omnipotentia, licet illud esse, non habeant realiter.

Verificativum Propositionum æternæ veritatis non est sola Deitas. Consequenter nec illa est unicum Divinarum, cognitionum & volitionum motivum.

De Ente prout Existentia est.

Ens prout existens, est ipsum Ens, prout est extra causas. Non est existentia distincta realiter ab essentia. Sed connotativè. Potest præcindi ab essentia.

DISPUTATIONE SECUNDA.

de Attributis Entis.

*Q*uid sint *Attributa*. Dantur, sunt tria. Nihil datur inter illa ordo realis, datur rationis.

Unitas non est quid distinctum ab Ente realiter, neque formaliter ex natura rei actu. Negatio divisionis in se accusativè, seu à se, est negatio importata ab Unitate. Hinc unum non est quid positivum simpliciter, & absolutè.

Unum ut sic potest præcindi ab hoc & illo uno; licet non possit præcindere, ab illis pluribus in quæ divisionem negat unitas, potest autem præcindere ab Ente.

Explicantur varii modi unitatis. Non est idem formaliter unitas Hæcceitatis, & unitas transcendentalis. Principium constitutivum Hæcceitatis non est collectio accidentium. Nec materia signata. Distinguuntur aliquo modo

Index II. Conclusionum in Metaphysica.

modo Hæcceitas & unitas individualis, & accipiendo illas ut ita distinctas, adhuc dupliciter spectari possunt.

Actio secundum quod importat modalitatem, requirit essentialiter principium hoc. Licet idem effectus possit produci, à diversis numero actionibus, sicut & Unio secundum quod non est sine modo, potest unà per diversas numero actiones produci.

Veritas est duplex objectiva & formalis, objectivè sumpta non constituitur primò negatione falsi, relativè spectata, est conformitas ad intellectum cognoscentem objectum sicuti est. Absolutè autem spectata est ipsum esse, sicut esse debet.

Bonitas multipliciter accipi potest. Per rationem convenientis non constituitur primò Bonitas. Sed potius per radicem, ex qua fluit appetibilitas.

DISPUTATIONE III.

De Distinctionibus.

Quid Differentia, Diversitas, Divisio, Distinctio. Quæ ratio hujus partitionis. Distinctio & alteritas, non sunt idem, & ab alieta, differt suo modo & cum eadem convenit.

Datur distinctio. Ea definitivè, non est exclusio Entis, vel modi, ab eo esse, vel essendi modo, non quo Ens, vel modus entis est. Sed definitivè est Alietas unius ab alio, vel carentia identitatis. In re autem distinctio, est ipsum subjectum distinguibile.

Dividitur distinctio in Realem & Rationis. Non datur inter illas media, nisi hoc sensu quòd sit aliqua distinctio, quæ neque est rigorosè realis, neque rigorosè rationis. Variè dividitur distinctio realis ibid. Sicut & distinctio rationis. Duo Entia rationis distinguuntur nemine cogitante realiter? Universaliter si nomine distinctionis actualis, intelligas

distinctionem nemine cogitante, illa non requirit existens utrumq; extremum.

Species nobilissima distinctionis, est distinctio realis, ejus natura pernosci non potest, nisi sciatur quid sit res. Quæ non rectè explicatur per opinabile, aut per rationem prædicari transcendentalis, aut ejus, quod habet esse independens ab intellectu. Nec est id formaliter, quo stante, mutatis reliquis manet idem Ens. Nec est formaliter id, quod conjunctum cum altera ratione, extrahit illam, ad abam Entis speciem. Res est quid concretum ex Ente & realitate, realitas autem, est aptitudo existendi sine alio. Quæ realitas potest prædicari de Re abstractè accepta, non autem concretè.

Distinctio Realis, est Alietas realis unius extremi ab alio. Signum hujus distinctionis in communi sententia, est separabilitas, ad utriusque extremi permanentiam. Oppositio producentis & producti. Diversitas item suppositorum. Sed hæc signa non sunt universalis, nec item est universale signum ejusdem distinctionis, posse habere propriam existentiam. Sed in creatis signum universale ejusdem est, separabilitas entitativa. In Divinis oppositio producentis & producti, vel si novitas phraseos non est vituperabilis, posset signum distinctionis in Divinis poni separabilitas personalis. Ex separatione quomodo arguitur distinctio realis. Tenetne consequentia à negatione distinctionis realis, ad identitatem realem, vel à negatione identitatis realis, ad realem distinctionem.

Loquendo de distinctione per connotata, quid connotans, connotatum, connotatis, connotativum? Relativum & connotativum distinguuntur, & Genus ad illa, est ly respectivum. Quando est subjectum connotans, & id quod connotatur, solet oriri nova denominatio. Relativum quod dicit connotatio est subjectum sortiens denominationem. Habetque se per modum materialis. Id autem quod dicit in obliquo, habet se per modum formalis. Licet non sit quid principale & primarium in connotato. Obliquum quod connotatur, interdum est quid reale, interdum modale, interdum negativum. Quis status quæstionis, inter affirmantes, & negantes connotata, Obliquum importatum à connotatione, vel relatione, non solum subjecto Relato, aut connotanti, sed & ipsi relationi, & connotationi, est extrinsecum. Est tamen intrinsecè requisitum. Non dico tamen, subla-

Index II. Conclusionum in Metaphysica.

to obliquo, manere connotationem, quoad entitatem.

Dantur Connotata. Triplex de illis formari potest conceptus. Si connotatio accipitur secundum obliquum, interdum inferet distinctionem realem actualem. Datis entibus Connotativis, non auferuntur entia absoluta. In hac sententia aliud est rigorose Petrus & Paulus similes, & aliud Petrus est similis Paulo. Dantur aliqua connotata, quibus mutatis, mutatur est ipsa Entitas connotantis.

De Distinctione modali loquendo, nomine modi multa veniunt. Alii sunt modi essendi, alii Entitativi. Quod fundamentum principale modorum? Plures definitiones modi non tenent. Sed bene definitur. Quod sit determinatio Physica indifferentis rei. Modos tenuit Suarez. Quæ proprietates modorum? Quod signum. Dicit essentialem ordinem ad hoc modificatum. Potest habere rationem rei. Creaturæ respectu Deinec Personæ Divinæ inter se sunt modi. Quomodo Modi inter se distinguuntur.

Quod attinet ad Distinctionem Virtualem quis illius ortus. Quid nomine distinctionis virtualis non debeat venire. Quid debeat. Duplex est distinctio virtualis. Quod illius signum. Distinctio Virtualis in Divinis non est distinctio realis in tercio. Non posse dari distinctionem Virtualem ut vocant intrinsecam increatis demonstraturne?

Quid Præcisiones objectivæ. Dantur in Divinis. Defenditur essentialiam v.g. non generare in sensu reali. Dantur Præcisiones objectivæ etiam in creatis.

Quid venit nomine Distinctionis formalis ex natura rei actu. Quis status questionis in præsentia. Quæ illius definitio, signum. Tenuitne illam Scotus. Quomodo dividantur formalitates. Cæterum tamen distinctio formalis ex natura rei præcisè & secundum se spectata, quæ tamen sit nemine cogitante non datur. Ostenditur sensus, quo admitti posset. Nomine Distinctionis Ratiocinatæ non est intelligenda distinctio, quæ præexistat antequam Intellectus ratiocinatur. Sed est distinctio, quæ est cum fundamento in re, sicut distinctio, quæ est ex solo concipiendi modo, est distinctio rationis ratiocinantis. Utraque bene salvari potest, per sola connotata.

* * *

DISPUTATIONE IV.

De speciebus Entis, Substantia, & Accidente.

Quis conceptus substantiæ. Explicantur Termini materiam de substantia concernentes. Agnovitne Aristoteles distinctionem substantiæ. Quæ controversiæ in Ecclesia fuerunt in hac materia.

Quid est esse Individuum, seu substantiam primam. Quid habere rationem Totius. Quid habere rationem perfecti.

Definitivè substantia, est substantia prima seu ipsum Individuum, prout dicit rationem totius. Non distinguitur substantia sola ratione. Nec ex natura rei Scotisticè, nec modaliter. Substantia secundum, id quod dicit in recto, non distinguitur nemine cogitante à Natura. Distinguitur tamen nemine cogitante ratione connotati. Quantumvis tamen ex Phrasibus Patrum, non colligatur distinctio Entitativa substantiæ, planior tamen est modus defendendi, illam esse distinctam entitativè.

Non dantur partiales substantiæ. Non est possibilis substantia completa non tamen subsistens, Accidentis non potest esse subjectum substantiæ. Substantia non est principium effectivum operationum. Requiritur tamen, tanquam Condicio per se ad operandum.

Effectus formalis Substantiæ, est reddere naturam stantem, per modum totius. Formalis autem effectus secundarius ejusdem, non est constituere naturam in ea incommunicabilitate, quæ opponatur inhærentiæ. Nec reddere Naturam incommunicabilem alteri ut suppositio. Sed effectus formalis secundarius substantiæ est, reddere naturam substantialem: non habentem rationem partis. In nostris Principiis Substantia creata, non potest terminare, Naturam increatam, imò nec in aliorum. Imò nec potest substantia creata, terminare naturam creatam, nec in nostris Principiis, eandem naturam plures Substantiæ propriæ. Secus Substantiæ distinctæ.

Inadæquata terminatio à Persona Divina impossibilis est. Potest terminari adæquatè Natura creata à pluribus Personis Divinis. Cæterum non est possibile, & in nostris, & in aliorum Principiis, ut Persona Divina, solam Personam creatam assumat.

Primo essentialis conceptus Accidentis, non est actualis inhærentia. Imò nec aptitudinalis, sumpta pro quacunque inaliestate.

Formatur conceptus debitus Accidentis. Non rectè per plures explicatur conceptus inhærentiæ. Adfertur hic conceptus.

DISP.

DISPUTATIONE V.

De oppositis Enti Reali.

Quænam opponantur Enti Reali. Nihil & negatio opposita Enti, quomodo inter se distinguantur.

Enti Reali opponitur etiam Ens Rationis. Quid per alios Ens rationis. Non est idem formaliter & absolute ens impossibile & ens rationis. Nec est idem formaliter ens rationis & negatio. Ens rationis est quid compositum per rationem compositione saltem æquivalenti. Quid in fabricatione entis rationis spectari possit.

Convenit enti rationis possibilitas extrinseca, stans in posse fingi, & hæc est realis. Convenit illi quædam licet æquivoca intrinseca possibilitas.

Essentia idem. Et suo modo etiam existentia. Antequam præcedit, esse existentielle potentiale suo modo.

Ens rationis, est ens, dicens disconnexionem prædicatorum in quantum illa est radix essendi tantum objective intellectu. Potest fabricari ens rationis. Sed non à sensu externo. Nec à phantasia. Impossibile est fieri Ens rationis, per secundam & tertiam operationem ab illis,

qui tenent impossibile esse illud ita fieri. Licet per primam operationem fieri possit ab his, qui oppositum tenent. Voluntas autem licet ferri possit in impossibile conditionatè, non tamen fabricat rigorosè ens rationis. Deus cognoscit entia rationis à nobis facta. Facitque tunc ens rationis indirectè. Facit tamen aliqua entia rationis, etiam directè. Potest cognosci objectum distinctum ab omni ente reali. Estne ens rationis, non aliud, quàm Ens reale, vel entia realia substantia cognitioni necessario fallæ.

Aliud enti oppositum sunt Negationes. Nulla negatio distincta, est à parte rei ab omni ente positivo, quod negat. Dantur aliquæ negationes inexistentes subjecto, quæ non sunt distinctæ ab omni Ente positivo, cui inexistunt. Præter negationes inexistentes subjecto positivo, dantur nemine cogitante negationes distinctæ, ab omni ente positivo, licet indistinctæ ab omni ente positivo quod negant. Quæ doctrina etiam supponit quasdam esse negationes fictas, quasdam intentionales, quasdam nec fictas, nec intentionales, adeoque suo modo actuales, quarum actualitas est, non esse actu.

* * *





